


ÆQVATORIVM
COMPOSITIO ÆQVATORII SOLIS.

POSTQVAM signifer secundum canonem æquatorij Saturnij super *D* centrū mundi designatus fuerit, à linea, quæ est ab orbe signorum in *D* centrum mundi, resecetur particula pro libito tanta, quantam distantiam eccentrici Solis ab orbe signorum esse uoluerimus. Rectam deinde, quæ est à *D* puncto, in datum iam punctum, diuidatur in partes 25 æquales, quarum una sit *c* centrum eccentrici Solis. In alio itaq; plano, ad datam quantitatem lineæ, quàm *c* litera, & datum punctum intercept, describentur circumferentiæ quatuor, tria concludentes spacia, ita tamen, ut id quod extremum eius obtinet angustissimum sit, pro singulorum graduum diuisione, sequens aliquo modo latius, pro annotatione numerorum graduum, tertium autem horum omnium amplissimum, pro numerorum signorum designatione aptum, quæ ita penitus distribuentur, sicut in zodiaco octauis orbis factum est. Et numerus quidem, tam graduum quàm signorum, in eum se sequatur ordinem, quem series signorum in Zodiaco exposcit. Compingetur autem hæc eccentrici rotula, rotulæ deferentis auge, ita tamen ut circa eam liberè uolui possit, & ex *D* & *c* centris egrediantur fila serica &c.



Linea